



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Favent Judaei quidam sententiae Christianorum super Christi Jesu reditu
ad vitam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

dem carne, vivificatus autem spiritu . . . qui est in dextera Dei deglutiens mortem, ut vite aeternae heredes efficeremur.

I. Favent Judaei quidam sententiae Christianorum super Christi Jesu reditu ad vitam. II. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. III. Secundum argumentum. IV. Refellitur Salmastii sententia de Christi sepulcro. V. Tertium argumentum. VI. Falsum est rediisse ad vitam Arisleam Proconnesium, VII. vel Cleomedem Astypalaensem, VIII. vel Hermotimum Clazomenium, IX. vel Epimenidem Cretensem, X. vel mulierem ἀρωου, Heraclidis libro peculiari celebratam, XI. vel Erem Pamphylum Harmonii filium, XII. vel puellam, quam suscitasse fertur Apollonius Tyanens, vel alios complures à Veteribus celebratos.

I. IN fronte disputationis hujus notandum est, nihil esse in hac causa, quam obrem Judaeis Christiana doctrina invidiosa esse debeat, cum popularis eorum Josephus, in celeberrima illa de Christo Jesu scriptura haec scriperit: εὐάν τῷ αὐτίκῃ ἐξῆς ἡμερῶν πάλιν ἔσται, ὅτι θείων ἀποφασίῶν ἑστὶν ἡ ἀνάστασις τοῦ σώματος αὐτοῦ ἀπὸ τῶν νεκρῶν. Post triduum enim rediurus ipsis apparuit, cum divini Prophetae haec aliaque innumera prodigia de eo nuntiassent. Cumque vetustissimus praeterea ac celeberrimus doctor eorum & Princeps R. J. huda Haccadosch, in libro R. Abrahami, qui ἡ ἱστορία, hoc est Revelans arcana, inicitur, sic disserat: Post triduum vero anima Messiae ad corpus suum revertetur, & exibat ex illo lapide, in quo erit sepultus; sicut dictum est Exod. 33. Ecce locus est apud me, stabis super petram: cumque transferit gloria mea, ponam te in foramine petrae. Quibus ex fide Galatini propositis, nunc argumenta Adversariorum diluamus.

Favent Judaei quidam sententia Christianorum super Christi Jesu reditu ad vitam. Joseph. Antiq. libr. 18. cap. 4.

II. Scribit Matthaeus, reverso ad vitam Jesu, & aperto sepulcro, milites custodiendo ei appositos, rem Principibus Sacerdotum nuntiasse, qua accepta hos habuisse fenatum, & de communi sententia subornasse pecunia milites, qui dicerent, sibi sopitis & somno oppressis noctu subtractum fuisse corpus Jesu ab ipsis Discipulis: quae confessio quoniam fraudi militibus esse poterat, ut pote stationis desertoribus, si ad Praesidem pervenisset, culpam se praestituros Sacerdotes promississe; paruisse milites, remque ita in vulgus dissipatam ad illum diem fuisse. Hinc adversus Christianos conflatur argumentum, quasi commentitia sit Christi Jesu à morte suscitati historia. At prorsus hebes esse telum hoc & plumbeum ostendit narratio rerum simplex, sed attente perspecta. Mortuum Christi corpus linteis involutum, monumento novo & in petra excavo illatum est. Saxum ingens ad ostium monumenti advolutum. Et quoniam Christus, dum viveret, de futuro suo post tres dies ad vitam reditu verba quaedam jecerat, postulant à Pilato Principes Sacerdotum & Pharisei, ut custodes apponantur sepulcro usque ad diem tertium, ne Discipuli ipsius subrepto clanculum corpore, vitam eum recepisse fingant, atque ita illudant credulitati plebis, nefariumque & damnosum errorem in vulgus spargant. Annuit Pilatus: obsignant illi lapidem sepulcro impositum, & custodes addunt. At die tertio editus est terrae motus ingens, Christo Jesu reviviscente, & Angelus caelo lapsus revoluto lapide vacui sepulcri ostium patefecit. Quo viso consternati metu custodes, ac prope examines corruerunt. Horum nonnulli in Urbem reversi, ad Principes Sacerdotum de iis rebus retulerunt. Interea vero alia quoque sepulcra patuerunt, sanctorumque hominum corpora vita fundata ac sepulta, postquam revixit Christus, rediviva & ipsa Hierosolymis apparuerunt. Haec Matthaeus: quae, Deo sic disponente, ita contigerunt, ut fidem ipsa ex sese ab Adversariis extorquere, & omnem pertinaciam frangere possint. Nam primum positum est corpus Jesu in sepulcro novo, in quo nondum ullum fuerat conditum, Ne post resurrectionem, inquit Hieronymus, ceteris corporibus remanentibus resurrexisset alius fingereur. Pollicitatio Christi de futuro suo ad vitam reditu, Judaeorum excavit diligentiam ad praecavendas fraudes. Cum ergo sepulcrum obsignarint, custodes apposuerint, modifque omnibus caverint, ne fraus sibi fieret à Christi Discipulis, eadem opera caverunt, ne factam sibi fraudem causari possent, postquam vere Christus revixisset. Qui cum revixerit, minime jam iis competit de dolo malo actio vel exceptio. Haec enim ita fieri Deus voluit, μη τις, inquit Chrysostomus μέλλῃ λαμβάνειν τὸ πρὸς τῷ ἀναστάσεως λόγῳ. Ne quis doctrinam hanc de reditu ad vitam labefactare possit.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. Matth. 28. 11. & seq.

Hier. in Matth. 27. 60.